



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 61. Pontificis sententia circa plures Franciæ Episcopos de hæresi suspectos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Decreto derogare posset, si id vellet; cum autem ejusmodi decretum acceptari minime posse crederetur, hinc ex una parte Patres ad formandum Decretum selecti, qui numero erant sexdecim ex variis nationibus, non assenserunt: duo autem Hispani, scilicet Episcopi Asturicensis, & Civitatis, in eo tam firmi perstiterunt, ut subscribere recusarent formæ ab aliis confectæ, insuper Lunensis cum Legatis de eo tam acriter collocutus est, ut denuntiaret, quod tunc, si decretum illud ex voto suo non procederet, non velit adesse Sessioni, nec permissurus sit, ut quisquam ex Patribus Hispano Regi subjectis interesset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

§. LXI.

Pontificis sententia contra plures Franciæ Episcopos de hæresi suspectos.

Cum hæc interea inter Legatos, & Hispanos cum ingenti animorum contentione agerentur, summus Pontifex Patrum Senatuum die vigesima Octobris habuit, ubi juxta Cardinalis Alexandrini, qui erat Inquisitorum Princeps, relationem, atque Fiscus Procuratoris preces cum unanimi Cardinalium judicio ibi expresso sententiam tulit in septem Episcopos, qui fuerant

Pallav. t. 6.
num. 7.
Thuan. l. 35.
num. 6.
Daniel hist.
de Franco
tom. 6.
pag. 360.

Sæcul. XVI. in jus vocati, & contumaces, propter
A. C. 1563. hæresis crimen. Erant hi Episcopi
 I. Castillonæus Odetus Colinius Car-
 dinalis, qui Protestantium sectam am-
 plexus a suæ factionis hæreticis vulgo
 Bellovacensis Comes appellabatur, eo-
 quod hujus Urbis Episcopus esset. II.
 San-Romanus Aquensis Archiepisco-
 pus. III. Joannes Montlucus Valen-
 tiæ in Delphinatu Episcopus. IV. Joan-
 nes Antonius Carracciolus Principis
 Melphitani Filius Trecensis Episcopus.
 V. Joannes Barbanconius Apamiensis
 Episcopus. VI. Carolus Guillartus
 Carnotensis Antistes. VII. Joannes
 Sant-Gelasius Uzetix Episcopus. VIII.
 Ludovicus Albretus Loscarensis Præ-
 ful. His quoque Scriptorum nonnulli
 Claudium Oleronensem Episco-
 pum addunt, testanturque, quod ea-
 dem pœna in Franciscum quoque Noal-
 lium Dacquensem Episcopum fuisset pa-
 rata: ast cum illum Romam pergere
 nuntiaretur, æquitati consonum crede-
 batur, ut eidem sese purgandi oppor-
 tunitas relinqueretur, si id facere vel-
 let. Ceterum omnes hi Episcopi jam
 Mense Aprili in jus fuere vocati, sen-
 tentia tamen in eos nonnisi die vigesima
 Octobris pronuntiabatur, atque eorum
 nonnulli exauctorati, alii vero duntaxat

at a muneris sui executione arcebantur. (*)

Sæcul. XVI.
A.C 1563.

§. LXII.

Sententia in Navarræ Reginam ab eodem Pontifice pronuntiata.

Alia adhuc res agebatur, quæ multis rumoribus ansam præbebat, atque ob Pontificis indignationem contra Franciæ Oratorem orta credebatur (**). Nam Pontifex Joannam Navarræ Reginam, quæ palam hæresin profitebatur, in jus vocabat: cum enim accusationes adversus eam delatas excepisset, suarum partium esse censuit, ut illam Romæ comparere juberet, unde eidem integrum semestre concessit, intra quod Romam venire, ac de sua fide, necnon de sceleribus eidem imputatis rationem reddere posset: si vero id renueret, illam tanquam de crimine convictam, proin jure ad supremum Regimen exutam, omnibusque suis ditionibus spoliata, declaraturus esset. Hæc agendi ratio æquitati, ac Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus adversa a Gallis putabatur, nihil-

Pallav. e. 6^o
num. 7.

(*) Si tot Præsules hæresi erant infecti, quid mirum, si in Laicis, ceterisque tantus Sedis Apostolicæ contemptus invaluit.

(**) Solus id credidit Continuator, cum ceteri Scriptores de eo nec verbulum habeant.